

Castellae reges a scriptoribus omnibus illius aetatis connumeratus.

Verum quod magis patefacit ad solam Ecclesiam, seu ad Rom. pontifices spectasse hoc negotium, est legatio missa ad Paschalem pontificem, qui dato diplomate ad Compostellanum episcopum ei in mandatis dedit, ut, causa excussa, regem compelleret ad illegitimam uxorem dimittendam, aut excommunicatione plecteret, si obtemperare detrectasset. Exinde irae vexationesque, ut ab eiusmodi hominibus fieri consuevit in sacrorum praesules, deportationes, exilia ex regis ira, donec tandem, ut postea refert idem historicus, coniugium penitus dissolutum fuerit.

Ut igitur paucis rem conficiamus, ex dixtis patet, non solum ex Marianae verbis nihil colligi posse pro regum auctoritate circa impedimentorum dirimentium relaxationem, verum contrarium prorsus ostendi, seu auctoritatem pontificiam ad exclusionem potestatis regiae.

Et haec de Nestio. Superest ut excutiamus adhuc nonnulla ex iis, quae subdit Litta, dum inquirens in relaxationum originem, quas, ut vidimus, vocavit *iustitiae*, scribit, primis Ecclesiae seculis leges nullas admisisse exceptiones; quod si interdum venia daretur, id non nisi raro accidisse. *Respectu vero impedimentorum dirimentium* nullatenus ac nunquam relaxabatur. Attamen, subdit, profecto nonnulli casus non defuerunt, qui adeo relaxationem mererentur, ut videretur quasi iniusta eius denegatio. Nihilominus nulla prorsus ratione relaxatio concedebatur; sicque ostenderunt Ecclesiae Patres se practice agnoscere, iniustum natura sua plane non esse, denegare relaxationem a lege aliunde iusta, utpote opportuna pro maxima casuum parte et personarum; ipsi nempe pluris semper fecerunt bonum obedientiae legi quamvis rigidae ac interdum incommodae, quam inducere legum contemptum, qui semper ex relaxationibus initium ducit (116).

(116) Litta op. cit. *Del diritto*, lett. 16. pag. 286.

Quin nobis haec difficultatem creent, valde potius conferunt ad perstringendos adversarios. Siquidem :

1. Inferimus : ergo primis Ecclesiae seculis iam impedimenta vigeant. Nescimus vero utrum adversarii ostendere queant ad ea constabilienda utriusque potestatis civilis nempe et ecclesiasticae simultaneum concursum intervenisse, adeoque eundem necessarium fuisse ad legum relaxationem, ex. gr. Domitiani et S. Clementis.

2. Inferimus : quod si constans atque insuperabilis Ecclesiae difficultas ad concedendas eiusmodi relaxationes repetenda est, ut adversarii contendunt, ex illo principio, quod penes Ecclesiae Patres fixum erat, debere legis observationem quibusvis praevalere motivis, quae eius relaxationem suaderent, inferimus, inquam: ergo agebatur de relaxationibus ab Ecclesia concedendis aut denegandis. Quod si ius relaxationem connubialium est intime inhaerens potestati politicae, intelligi nequit, qui potuerit hic spiritus antiquae disciplinae immutabilis tot seculorum tractu sancte servari, cum potuerint fideles omnimoda facilitate ad tribunalia secularia sese recipere pro relaxatione, quam illa valide ac licite dare potuissent, adeoque fideles valide et licite illa uti contra canonum statuta. Quapropter hoc idem principium a Patribus adoptatum, iuxta adversarios nostros, nonne evidenter supponit firmam eorumdem persuasionem ab Ecclesia repetendam esse, et a sola Ecclesia debuisse fideles dependere, ut dispensationem obtinerent (117)?

3. Inferimus : ergo mentita est iniquitas sibi, dum ex una parte contendunt ius statuendi impedimenta spectare ad politicam auctoritatem, perinde ac ius ab eis relaxandi; ex altera vero parte fatentur ad Ecclesiam eamque solam utrumque ab initio pertinuisse, nisi velint Domitianum, aut Decium una cum Ecclesia concurrisse sive ad impedimenta constabilienda, sive ad relaxanda, cum opus fuerit. Hactenus quidem contenti fuimus propugnare doctrinam catholicam retundendo adversa-

(117) Cf. Gerdil op. cit. *De matrim.* part. II. §. X.

riorum impetus inanesque conatus; nunc vero ad pleniorum veritatis triumphum positivis argumentis atque illationibus ita progredimur.

Si ius relaxandi impedimenta dirimentia coniugia christianorum ad principes laicos pertineret, profecto quoties ageretur de coniugio incesto ac illegitimo sive quoad se, sive quoad subditos, toties auctoritate propria, nempe suprema et independente, et secum et cum subditis suis principes relaxassent leges matrimonium dirimentes. Iam vero nunquam ita se gesserunt principes regesque, sed constanter ad Ecclesiae auctoritatem se contulerunt ad obtinendam relaxationem.

Revera, ipsis adversariis fatentibus imo et contententibus, primis Ecclesiae seculis nulla penitus relaxatio concedebatur, sed si qua matrimonia contracta fuissent aliquo irretita impedimento, dissolvebantur. Postea vero, quum interdum inita coniugia impellente necessitate tolerare opus esset, nec nisi summa rerum regnorumque perturbatione dissolvi possent, coeptum est in coniugiis iam contractis venia dari. Denique ob gravia, quae suo loco recensuimus, rationum momenta nova introducta est disciplina, qua daretur venia, ante quam coniugia inirentur. In utroque autem casu sive de iam inito illegitimo coniugio, sive de ineundo ageretur, constanter ac iugiter intervenit sola Ecclesiae seu apostolicae Sedis auctoritas, aut etiam ex tacito aut expresso apostolicae Sedis indulto, auctoritas episcoporum, aut synodorum provincialium ac nationalium, nunquam vero regia aut imperialis; quin etiam eadem auctoritate ecclesiastica factum est non semel, ut illegitima coniugia imperatorum, regum ac principum, ipsis invitatis dissolverentur, coniugesque poenitentiae addicerentur. Quoniam vero de re agitur satis explorata, quaedam nos exempla afferemus, quae viri eruditi ex certissimis historiae documentis collegerunt, ut ius Ecclesiae ostenderent, sive quum coniugia impedimento aliquo irretita, nulla facta legis dispensatione, Ecclesia dissolvi voluit, sive quum dispensatione facta, vel rata habuit iam inita, vel iniri permisit.

Itaque an. 912. Henricus *Auceps* cognomento filiam Ervini, comitis in Merseburch, et Alstadii, quae vidua monasterium ingressa fuerat, velumque susceperat, uxorem sibi adscivit et obtinuit. Porro cum Sigismundus, Halberstadiensis ecclesiae antistes, eiusmodi facinus comperisset, Henricum atque Hatelburgam se synodo sistere et disiungi illico iussit, lata in eos anathematis sententia. Conradus rex sese pro illis interposuit, cuius precibus annuens Sigismundus sententiae executionem aliquamdiu distulit. Henricus tamen Hatelburgam dimittere debuit, quamvis Tammonem seu Thankmarum ex ea genuisset, iustisque postea nuptiis Mathildem ex antiquissima Witekindistirpe ortam sibi copulavit (118).

Sic an. 949. constantia enituit Fulberti, Cameracensis episcopi, qui incestum Amulrici, Hainouensis comitis, cum Isaaci, comitis Cameracensis, filia connubium tolerare detrectavit, ac disiungendum indixit. De quo ita scribit Baldericus in eiusdem Cameracensis ecclesiae chronico: « Quod parentes atque amici » moleste, sed et dolenter ferentes, modo minarum asperitate » episcopum perterrefaciunt, modo tamen precibus et pretiosis » muneribus conveniunt; quin etiam uberrimas haereditates » sanctae Dei Ecclesiae promittunt, ut sive scilicet eorum minis coactus, sive promissorum munerum affectatione in » aliam sententiam flexus, disiunctos fortasse reconiungeret » incolvulosque amodo manere permitteret (119). » Ast perperam. Nunquam Fulbertus a sua dimoveri sententia passus est.

An. 971. refertur factum S. Dunstani de quo alias verba fecimus, qui illegitimum pariter coniugium dissolvit.

(118) Cf. Hartzheim *Concil. German.* tom. II. pag. 586. ed. Colon. 1760.

(119) *Chronicon Cameracense et Atrebatense* a Balderico, Noviomensi et Tornacensi episcopo, Duaci 1615. lib. I. c. 75. qui post relata verba adiungit: « Huius rei suggestione episcopus commotior factus, quia in ipso timor Domini praeponderabat, minas posthabuit, et ne a norma canonicae legis pretio » emptus forte descisceret, promissa calcavit... precibus eorum minime ad » quievit, sed totius auctoritatis iudicio in perpetuo segregavit. »

An. 1085. cum quaestio mota fuisset in synodo Quintina Limburgi de Hermanni regis coniugio, cardinalis Ostiensis episcopus a S. Gregorio VII. missus legatus in Germaniam, se contulit ad concilium Rhemense, in eoque concilio edixit :
 « Audiens ego quod rex vester legitimum non habeat con-
 » iugium, iudico inter eum et uxorem eius fieri divor-
 » tium (120). »

Sub saeculi XI. finem non pauca suppeditat exempla de illegitimis coniugiis dissociatis Ivo, Carnotensis episcopus, quem *communem Galliarum magistrum* appellant. Hic in epistola 244. scripsit ad Audoenum, Ebroicensem episcopum, qui eum monuerat, esse quamplurimos, qui aegre ferrent « quod dirimerem coniugia
 » liberorem et ancillarum, et e converso; et hoc vobis videri,
 » quod sit contra sententiam evangelicam, qua dicitur : *Non*
 » *licet viro dimittere uxorem, nisi causa fornicationis.* » Ad quod, inquit, dilectioni vestrae respondemus, quia contra
 » hanc sententiam scienter nihil agimus, vel agere volumus.
 » Si enim divortium facimus inter liberum et ancillam, non
 » coniugium solvimus, sed contubernium male coniunctum
 » dissolvimus et dissociamus (121). »

In altera vero epistola, nempe 245. quam ad Gualonem, episcopum Parisiensem, idem misit, inter caetera haec habet :
 « Nuper cum essemus apud Castrum Melitanense, narravit
 » nobis dominus Stephanus Cancellarius quasdam nuptias
 » fuisse celebratas in episcopatu vestro contra placitum ves-
 » trum, inter quemdam puerulum, et quamdam puellulam,
 » quum adhuc pene in cunis essent.... quibus auditis rogavit
 » me, ut scriberem vobis quatenus tales nuptiae aut fieri non
 » permitteretis, aut factas dissolvi praeciperetis (122). »

(120) Ita rem narrat Venericus, Vercellensis episcopus, apud Christian. Lupum ad can. XI. Rhemensis concilii a S. Leone IX. celebrati. Is cardinalis legatus successus postea fuit S. Gregorio VII. in pontificatu Romano sub nomine Urbani II.

(121) *Ivonis, episcopi Carnotensis, epistolae.* Paris. 1585. in-4.

(122) *Ibid.* Cf. etiam epist. 128. ad Lisiardum. Suessionen. episc. et alibi passim.

Ad hoc ipsum seculum spectat, quod paulo ante attulimus de illegitimo coniugio ab Alfonso, Castellae rege, inito, atque Ecclesiae solius auctoritate dissoluto, petentibus regni proceribus.

Ex his, quae hactenus attulimus factis, manifestum fit Ecclesiam iure suo dissociasse coniugia non modo non annuentibus, aut assentientibus principibus, sed ipsis prorsus invitis ac renuentibus; siquidem et ipsi non semel compulsi sunt illegitima a se inita coniugia dirumpere, et ob male contractas nuptias poenitentiae fuerunt addicti. Iam vero si relaxationis ius penes principes stetisset, nonne secum ipsis dispensassent, totque devitassent incommoda, quae ex divortio sibi iniuncto sub excommunicationis poena proveniebant?

Ast prae caeteris eminent sec. XI. labente ac XII. ineunte exemplum dissoluti coniugii perperam initi inter Philippum I. regem Galliarum, et Bertradam auctoritate Paschalis II. Quandoquidem vero factum istud celebre extitit in historia tum ecclesiastica tum civili, iuverit paucis illud ex authenticis fontibus enarrare ob magni momenti consecutiones, quae exinde in rem nostram efflorescunt. Hunc porro ordinem consecutabimur : 1. exponemus matrimonium initum inter Fulconem, comitem Andegavensem, et Bertradam, filiam comitis Simonis de Montfort; 2. coniugium contractum inter Philippum et Bertradam; 3. quam ratione se gesserint hoc in negotio Urbanus II. et Paschalis II. Rom. Pontifices; 4. inquiremus num post huiusmodi coniugii dissolutionem Paschalis II. dispensationem concesserit, et matrimonium fuerit nec ne reintegratum; 5. corollaria demum ex hac facti expositione deducemus.

Ut igitur a primo exordiamur, refert Ordericus Vitalis, auctor Synchronus, (123) Fulconem, comitem Andegavensem,

Atque hic est Ivo, ad quem praecipue confugit Launoius, ut evincat iuxta ipsum ad principes seculares spectare impedimenta constituere, ab iisque relaxationem concedere. At istorum fraudem detegit, atque ad nihilum redegit cl. card. Gerdilius in op. cit. part. I. §. III.

(123) In *Hist. ecclesiast.* lib. VIII. pag. 681. seqq.

proiectae vitae hominem, binis repudiatis uxoribus, illecebris captum Bertradae, filiae Simonis, comitis Montforti neptisque comitis Guillelmi Eboradunensis, eam in uxorem petiisse. In hunc finem operam interposuit ducis Normanniae Roberti, cui Fulco nonnulla castra cessit. Ac reipsa eam, quamvis *adhuc tenera virago* fuisset (124), obtinuit, licet invivis agerent duae repudiatæ uxores: « Andegavensis consul, scribit cit. auctor, » concupitam puellam gaudens suscepit, et viventibus adhuc » duabus uxoribus desponsavit (125); « Quocirca paulo post ab eodem Orderico Bertrada vocatur pellex, Fulco vero adulter (126). Ex chronico vero Virdunensi novimus quo propinquitatis gradu coniuncta fuerit Bertrada cum Fulcone et cum Philippo rege. In eo enim legimus: « Rex legitimo » abdicato matrimonio.... comiti suo Andegavensi uxorem » subripuit, militi suo, cui fidem promiserat, et carnis consan- » guinitate propinquo: adeo ut ex una parte in *tertio* et in » alia in *quarto* propinquitatis sanguine necterentur (127.) » Hac de causa in chronico Andegavensi Philippus traducitur uti incestuosus et adulter (128).

Paucis me expediam ab eo, quod secundo loco proposui, nempe a coniugio Philippi regis cum Berta. Siquidem sic res plene refertur ab historicis illius ætatis: « Philippus, rex Francorum, » uxorem habens legitimam et praeclari generis Bertam nomine, ex qua suscepit filium nomine Ludovicum, ... contra ius legitimæ coniunctionis exosam habere coepit: et a se

(124) Ibid. I. c.

(125) Ibid.

(126) Ibid. pag. 899: « Sic petulans pellex adulterum comitem reliquit. » Exinde novimus coniunctionem Fulconis cum Bertrada non fuisse nisi concubinatum, deprehendimusque quare episcopi, qui tantum excitaverunt rumorem ob repudium Philippi et Berthæ, nunquam mussitaverint ob repudium Bertradae ex parte Fulconis.

(127) *Chron. Virdun. Hugonis ab. Flaviniaci; in Biblioth. Labbei tom. I. pag. 259.*

(128) « Philippum Francorum regem pro incesti adulterii crimine excommunicavit. » *Chron. Andegav. an. 1095. in Biblioth. Labbei tom. I pag. 281.*

» contra canonum statuta libello repudii conatur repellere, » nihil criminis obiecto, excepto quod sanguinitatem falso » adnumerare tentabat, nec poterat (129). »

Quid porro gesserint Urbanus II. et Paschalis II. in hoc negotio compertum est ex historia illius temporis et ex epistolis utriusque pontificis, quorum iussu plura concilia coacta sunt; donec Urbani et Claramontanae synodi sententia coactus Philippus Bertradam dimiserit; ast cum paulo post rex eandem reducerit, in synodo Pictaviensi, agentibus cardinalibus Ioanne et Benedicto, Sedis apostolicæ legatis, XIV kal. Dec. an. 1100. excommunicationis sententia Philippus mulctatus est. Tandem an. 1104. resipiscentibus Philippo et Bertrada pro absolutione Paschali II. supplicarunt. Annuit Paschalis, ea tamen conditione ut interposito iureiurando, promitterent non modo separationem a mutuo contubernio, sed et a colloquio, nisi sub personarum minime suspectarum testimonio, abstinerent (130). Cumque rex se ultro huic conditioni plene subiecerit, tamen in concilio Balgensiaco ob renuentiam episcoporum res infecta est (131). Absolutus rex fuit in concilio Parisiensi IV. non. Decemb. an. 1105. ubi Bertrada idem sacramentum præstitit ad absolutionem impetrandam (132).

Nunc autem quarto loco inquirere præstat, num præter ab-

(129) Ex fragm. *Histor. francor. lib. IV. Histor. Roberti Wiscardii, quam scripsit Malaterra monachus, apud Duchesne Histor. francor. script. Lutet. Paris 1641. tom. IV. p. 166.*

(130) Cf. Nat. Alexandr. *Hist. eccles. in sec. XI. et XII. cap. X. art. II.*

(131) His verbis narrat Yvo: « Convenimus Balgenciaco ad faciendam absolutionem regis, secundum tenorem litterarum, quas super hac re miserat moderatio vestra. Convenit etiam rex et lateralis sua, et secundum præceptum vestrum, sacrosanctis evangelii tactis parati fuerunt abiurare absolute omnem carnalis copulae consuetudinem, insuper et mutuum colloquutionem nisi sub testimonio personarum minime suspectarum usque ad vestram dispensationem. » Yvonis ep. 144.; quam refert etiam Baronius ad an. 1104. n. 5. Formulam vero iuramenti a Philippo præstiti refert Lucas Dacherius in *Spicilegio tom. III. ed. Paris. 1639. pag. 129.*

(132) Prout refertur in epist. Lamberti ad Paschalem II. apud Labbeum *Concilior. tom. X. col. 742 seq.*

solutionem ab excommunicatione Paschalis II. dispensationem ad matrimonium contrahendum cum Bertrada, propinqua sua in quarto gradu, Philippo regi contulerit. Sane non pauci scriptores ita sentiunt, adnumerantque eiusmodi dispensationem inter praevias, quae illa aetate, nempe ante Innocentium III. a Rom. pontificibus datae fuerunt (133). Nos vero plus semel innuimus rem incertam esse, immo verisimilius nunquam concessam eiusmodi dispensationem fuisse. Iuverit expendere utriusque sententiae fundamenta.

Igitur qui priori adhaerent placito, censent post mortem Berthae legitimae uxoris, quae contigit an. 1094. (134). Philippum in spem venisse redintegrationis sui matrimonii cum Bertrada atque sub hac conditione se poenitentiae subiecisse ad obtinendam tum absolutionem, tum dispensationem, qua legitime nuptias cum Bertrada iniret. Innituntur porro 1. allegatis verbis Ivonis in ep. 144. ad Paschalem II. *Usque ad vestram dispensationem*; 2. Facto ipsius Philippi, quia nisi dispensationem obtinisset, profecto ausus haud fuisset se iterum cum Bertrada coniungere, prout fecit; 3. rationi qua Fulco excepit Philippum et Bertradam cum Andegavum se contulerunt, prout omnibus honoris ac reverentiae signis et testificationibus exceptus pariter est a clericis et proceribus; 4. *Reginae* denominationi, qua identidem a veteribus Bertrada donata fuit.

Ast hae merae sunt coniecturae solido destitutae fundamento. Etenim prima deiicitur tum ex eo quod verba illa: *Usque ad vestram dispensationem* adiecerit Ivo de suo, fidens futurum ut Papa dispensaret, praesertim cum ipse cum paucis episcopis pro

(133) Inter quos Thomassinius, *De beneficiis*, tom. II. c. XXIX. n. X. p. 359. Daniel. *Hist. de France*, tom. II. p. 410. Amsterdam 1720. Moreau *Discours sur l'hist. de France*, tom. XIV. p. 592. Natal. Alexand. *Hist. eccles. in sec. XI. et XII.* cap. X. art. 2. Herault in *Epitome chronol. Gallicae histor.* tom. I. ad an. 1005. Zacharia in cit. *Diss. De episcop. in dispensat. super matr. impedim. potestate*, cap. I. §. 2. p. 57 seq.

(134) Ut legitur in *Chronica Petri Vivi*, apud Dacherium in *Spicilegio*, tom. II. p. 748.

gratia hac intercessisset scribens: « Dispensationis autem modo nulli unquam sapientum displicuit etc. (135); » tum eo quod Paschalis II. in epist. ad archiepiscopos et episcopos Remensem, Senonensem, et Turonensem post litteram synodalem Bangenciacam ne verbum quidem fecerit de dispensatione, sed unice institerit separationi faciendae a Philippo absque ulla conditione (136); tum denique ex eo quod Philippus et Bertrada in iureiurando praestito ad obtinendam absolutionem, nullam adposuerint prorsus conditionem.

Altera coniectura eliminatur, spectata agendi ratione, quam alias tenuit idem Philippus, qui nihil obstante promissione facta, iterum ad pristinam rediit conversationem; nimio enim erat amore captus erga Bertradam; nil mirum proinde si etiam post obtentam absolutionem ac praestitum iusiurandum redierit ad vomitum.

Tertia facile diluitur ex iis, quae de artibus Bertradae scribunt Ordericus et Sugerus. « Versipellis mulier, inquit Ordericus, inter rivales similitatem compescuit, ingenioque suo in tantam pacem eos compaginavit, ut splendidum eis convivium praepararet, et apte prout placuit illis ministraret (137). » Sugerus vero addit: « Andegavensem priorem maritum, licet toro omnino repudiatum, ita mollificaverat (Bertrada), ut eam tanquam dominam veneraretur, et scabello pedum eius saepius residens, ac si prestigio fieret voluntati eius omnino obsequeretur (138). » Quod vero spectat ad clericos ac proceres, qui honoris ac obsequii significationibus Philippum regem exceperint, mirum esse non debet post obtentam ab eo absolutionem.

Quarta coniectura ex *reginae* appellatione, quae interdum a nonnullis Bertradae tributa fuerit, desumpta, disiciatur, si ratio

(135) Epist. cit.

(136) Haec epistola Paschalis II. legitur apud Dacherium in *Spicilegio*, tom. III. p. 128.

(137) *Histor. ecclesiast.* lib. VIII. ed. Duchesne Lutet. Paris. 1619. p. 999.

(138) *De vita Ludovici Grossi regis* apud Duchesne, *Hist. franc. script.* Lutetiae 1641. tom. IV. p. 598 seq.

habeatur assentationis erga Philippum, qui illam uti legitimam uxorem haberi volebat.

Caeterum nec levia nec pauca sunt documenta, quae has penitus destruunt coniecturas. Etenim 1. nemo est ex antiquis scriptoribus, qui toties locuti sunt de absolutione Philippi, qui mentionem iniicit de data *dispensatione*. 2. Imo ex ratione, qua referunt datam absolutionem, contrarium potius ostendunt; sic enim Aimoinus scribit: « Quam sententiam (anathematis) » rex, motus divina gratia, timens, et *ad terminum vitae suae* » *propinquans*, resipuit, veniamque postulans eam (Bertradam) dimisit (139). » Ergo non nisi sub vitae finem Philippum vere poenituit, dimisitque tanquam illegitimam uxorem Bertradam, adeoque nullam obtinuerat dispensationem. Ordericus pariter, relato Philippi iuramento, pergit his verbis: « Petulans pellex adulterum comitem reliquit, *adulteroque regi* » *usque ad mortem* adhaesit (140); » quae verba nullum praeferrent sensum in hypothese de obtenta dispensatione. Demum Sugerus aperte liberos ex Bertrada a Philippo susceptos illegitimos vocat scribens: « Dicebatur enim regem illum superbum et impetuosum (regem Anglorum) aspirare ad regnum » Francorum, quia famosus iuvenis (Ludovicus VI.) *unicus* patri erat de nobilissima coniuge, Roberti, Flandrensis comitis, » sorore. Qui enim duo supererant, Philippus et Florus, de » supradicta Andegavensi comitissa Bertrada, geniti erant, » nec illorum appreciabatur successionem, si unicum primum » decedere quocumque infortunio contingeret (141). » Iam vero si intercessisset dispensatio pontificia, per subsequens legitimum coniugium, legitimi facti fuissent, ac successionis ad thronum capaces. Nunquam igitur eiusmodi dispensatio data est (142).

(139) *De gestis francor.* lib. V. cap. L. ed. Paris. pag. 565.

(140) *Op. cit.* lib. VIII. pag. 299.

(141) *De vita Ludovici Grossi regis*, c. I. *Hist. francor. scriptores* apud Duchesne tom. IV. ed. Paris. 1641. pag. 285.

(142) Cf. Pagium Antonium in annotatione ad card. Baronium an. 1104 seq.

Quibus ita constitutis, superest ut prosequamur postremo loco consecutiones, quae exinde dimanant adversus Nepomuc. Nuytz, qui plane se hospitem in historia patefacit, dum ex hoc facto insurgit adversus dispensationes ab Ecclesia circa matrimonia concessas. In tot enim errata impegit, quot fere hac de re periodos scripsit.

Ac 1. in eo quod affirmat vulgo traduci veluti primam dispensationem eam, quam dedit Paschalis II. regi Philippo an. 1100. eo quod Bertrada esset consanguineitate coniuncta Philippo, dum oppugnatum non fuit hoc coniugium *propter consanguineitatem*, sed quia Philippus iunctus erat matrimonio cum Berta, ac Bertrada erat uxor comitis Andegavensis (143). Vulgarem sententiam in suo tractatu de matrimonio ipse Nuytz sectatus fuerat, innixus auctoritate Tomassinii, at dein suam protulit novam sententiam, quae facile erroris multiplicis convincitur. Nam Berta, ut constat ex dictis, vita iam functa fuerat an. 1094. Ergo an. 1100. id est post sex annos ab eius obitu, non poterat esse causa, ob quam peteretur dispensatio et negaretur coniunctio Philippi cum Bertrada. 2. Praeterea absurdum est expetitam fuisse dispensationem vivente adhuc Berta ob impedimentum ligaminis, quod est iuris divini; praetextus enim,

nec non Pagium Franciscum in *Breviario gestorum pontific. Roman.* Lucae 1729. in vita Paschalis II. tom. I. pag. 625. n. XXVIII. qui refellunt Blondellum autumantem legitimum fuisse Philippi coniugium cum Bertrada, ob concessam a Paschali II. dispensationem.

(143) En eius verba ex opusc. *Il professore Nuits ai suoi concittadini.* Torino 1851. in quo adnititur refellere Pium IX. oblatam contra se sententiam. « Il primo esempio di dispensa data *dalla chiesa*, si dice esistere in quella che Pasquale II. diede a Filippo I. re di Francia circa del 1100 acciò *rimaner* » *potesse* con Bertrada *sua parente* già sposata, in seguito a quale sentenza, » quel re abbia rinnovato con Bertrada il suo matrimonio. Così Tomassino. » Io credo però che Thomassino, la cui auctorità ho seguitato troppo facilmente » nel mio trattato, commetta quivi un grave errore.

Il matrimonio tra Filippo e Bertrada, non era oppugnato per *consanguineità* ma perchè Filippo aveva Berta per moglie, e Bertrada avea già per marito il » conte d'Angiò » pag. 165 seq.

quem obtendebat Philippus de sua propinquitate cum Berta illico exclusus est. 3. Etiam errat Nuytz in eo quod dicit de Bertrada uxore comitis Andegavensis, cum vere non fuerit nisi eius pellex et concubina, superviventibus adhuc duabus repudiatis uxoribus, seu potius uxore, et superinducta concubina altera. Remanet igitur ut ob *solam consanguineitatem* post an. 1094. oppugnatum fuerit matrimonium Philippi cum Bertrada, ac proinde turpiter erraverit Nuytz, dum hanc exclusit; eo vel magis, quod ex adductis documentis positive constet quo in gradu fuerit Bertrada consanguinea Philippo, nempe in *quarto* (144).

2. Non minus turpiter erravit Nuytz, dum fidenter adeo affirmat, *historiam non loqui de dispensatione* ad contrahendum matrimonium data, sed unice de absolutione ab excommunicatione Philippo inflicta ob suum cum Bertrada initum coniugium (145). Ast contrarium constat, ut vidimus ex Ivone, qui una cum nonnullis aliis episcopis post conventum Bangenciacum supplicavit apud Paschalem II. pro *dispensatione* adiiciens: « Dispensationum autem modus nulli unquam sapientum displicuit (146), » qui deinde plura adtexuit argumenta tum ex auctoritate tum ex ratione petita, ut persuadeat pontifici necessitatem, aut saltem congruentiam concedendi eiusmodi *dispensationem*.

Praeterea in hac eadem epistola circa finem Ivo aperte duas distinguit petitiones, quae fiebant pontifici, scilicet *dispensationis* ab impedimento consanguineitatis, et *absolutionis* ab excommunicatione. En eius verba: « Nostrae suggestionis summa est, ut imbecillitati hominis amodo, quantum cum

(144) Paulo ante verba retulimus chronici Viridunensis ad hoc evincendum.

(145) Sic enim prosequitur loc. cit. « *E la storia non ci parla più di dispensa data pel matrimonio, ma di assoluzione da scomunica inferita al re Filippo ed a Bertrada per questo loro matrimonio, concessa sotto giuramento di separarsi.* »

(146) Loc. cit. quibus alludit ad verba ex. S. Cyrillo relata a Paschali II. quaeque nos alias descripsimus.

salute eius potestis, condescendatis, (nempe circa dispensationem, de qua immediate ante disseruerat), et terram, quae eius anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis.» Et haec circa absolutionem.

3. Erravit in eo quod affirmet, non nisi valde sero coeperint dari ab apostolica Sede dispensationes matrimoniales, ut inde colligat ius dispensandi non ad Ecclesiam, sed ad civilem auctoritatem originarie spectare (147). Quidquid sit de facto, de quo mox dicemus, certum est persuasum quavis aetate in Ecclesia fuisse eiusmodi dispensationes exclusive ad apostolicam Sedem pertinere, nullo vero modo ad politicam potestatem. Id constat ex ipso Ivone aliisque episcopis, qui enixe adeo Paschali II. supplicaverunt, ut dispensationem concederet; constat ex ipso pontifice, qui animum inclinasset ad eam concedendam, si unanimi consensu episcopi Bangenciaci congregati convenissent ad eam petendam; ast pro maiori eorum parte noluerunt proprium iudicium proferre dicentes: « se » debere esse huius consilii comites et non duces (148). » Constat demum ex ipsa Philippi agendi ratione non ad principes laicos, sed unice ad summos pontifices pertinuisse dispensationem concedere, alioquin secum ipse dispensasset, ut evidens est.

4. Non minus erravit Nuytz, dum asseruit non nisi sero valde coepisse ab apostolica Sede dispensationes matrimoniales concedi; siquidem nos harum relaxationum exempla attulimus ex sec. VI. videlicet a S. Gregorio M. in gratiam Anglorum recens ad christianam religionem conversorum (149), tum a Gregorio

(147) « Comunque sia, fatto è, che le dispense papali per ragion di matrimonio, cominciarono tardissimamente. Ma quell'aspettare sì tardy a dar dispense, e il cominciare a farlo *nelle dense tenebre* del medio evo, quando » la chiesa esclusivamente al civile legislatore governò la materia del matrimonio, tanto pel temporale quanto per lo spirituale, non prova egli che il diritto di dispensa *alla chiesa non appartiene?* »

(148) Ivo ibid.

(149) Has perperam Nuytz in suspicionem vocat in sua tractatione *De matrimonio*, pag. 291. in nota, ut suo loco ostendimus.

II. aliisque pontificibus. Sero tantum datae sunt relaxationes *praeviae* matrimonio contrahendo, et quidem ob gravissimas causas, quas suo loco recensuimus. Consequentia, quam deducit Nuytz, digna est egregio professore eiusque praemissis (150).

Quod si Paschalis II. dispensationem expetitam non concessit, non ex defectu id contigit auctoritatis, sed ex eo quod iudicaverit illis in adiunctis non esse faciendam; et in hoc ostendit auctoritatem suam.

Atque haec necessario erant diligentius expendenda, ut satis faceremus Nuytz, qui eo adeo abusus est ad tribuendum dispensationum ius civili potestati.

Caeterum ex hoc tempore ita invaluit haec disciplina, ut non aliae fere relaxationes, quam coniugio *praeviae* a Rom. pontificibus darentur, ut constat ex ea, quam insequenti seculo Innocentius III. Othoni IV. imperatori dedit, aliisque, quas antea recensuimus.

Hic proinde redit argumentum, quod ita instauramus: si ad regiam imperialemve potestatem ius relaxandi leges matrimonium dirimentes spectaret, citra omne dubium principes nunquam passi fuissent, pontifices Romanos exclusiva ratione illud sibi vindicare, atque eo usi fuissent, quandoque in subditorum favorem, multo vero magis in proprium commodum, spectata praecipue summa interdum difficultate veniae a pontificibus obtinendae, eaque non raro aperte negata. Atqui tamen nunquam nec pro se neque pro subditis suis eiusmodi iure usi sunt principes, sed quoties opus fuit, ad apostolicam Sedem supplices libellos dederunt. Evidens igitur est eos agnovisse se nec ius istud aliquando habuisse, nec illud regiae auctoritati inhaerere. Contrarium nunquam evincit sive Launoius, sive eius gregales atque exscriptores falso eruditionis apparatu.

(150) Adeo eruditus est hic iuris canonici professor in Athenaeo Taurinensi, ut inter se card. Fleuryum cum ab. Fleuryo permiscuerit, ac Eugenium III. qui floruit aetate S. Bernardi, cum Eugenio IV. qui praefuit concilio Florentino, id est post aliquot secula floruit.

Restat igitur, ut, si quae datae sunt ab imperatoribus principibusque christianis relaxationes ad legitime ineundum coniugium, aliud eae non habuerint aut habeant obiectum, quam impedimenta civilia atque civiles poenas, quae in transgressores legum constitutae sunt; verum hae nunquam vinculum attingunt circa quod civiles leges nihil possunt.

Exinde et illud inferimus, quod, cum potestas relaxandi ab impedimentis relativa sit ad potestatem eadem constituendi, novum robur vimque maiorem accipiant, quae de auctoritate solius Ecclesiae ad exclusionem laicorum principum in superioribus articulis disputavimus in legibus matrimonium dirimentibus constituendis.

Atque haec de gravissimo hoc argumento sufficiant.

ARTICULUS IV. — Causae matrimoniales, quae vinculum respiciunt Matrimonii christiani, perperam civili christianorum principum foro adiudicantur.

Quidquid hac de re De Dominis, Launoius, eorumque exscriptores Nestius, Tamburinus, Litta protulere, Io. Nepomucenus Nuytz in compendium redegit. Hic auctor, qui se catholicum profitetur, postquam Pius IX. eius scripta damnavit, novo opere edito, ac veluti appellatione facta ad concives suos damnatas doctrinas adstruere, ac ipsum Rom. pontificem docere catholicam veritatem ausus est. Ea omnia, quae ad quaestionem praesentem faciunt, verbum verbo reddentes vertemus.

Assero matrimoniales causas ac sponsalium pactum natura sua ad forum civile pertinere.

Matrimoniales eae causae dicuntur, in quibus in disputationem venit vel matrimonii validitas, vel coniugum separatio tum relate ad distinctam solummodo habitationem, tum relate ad solutionem vinculi cum facultate novi ineundi coniugii.

Ut quaestio dirimatur ad quodnam forum huiusmodi causae pertineant, satis est hanc illarum definitionem inspicere. Ex data definitione patet non agi in his causis nisi de contractu eiusque effectibus.